Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

IRRITATIONE

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE WESTPHALIAE ET RELIQVA

SVB PRAESIDIO

IOANNIS ADOLPHI WEDELII

PHILOS. ET MED. D. PRAXEOS ET CHIMIAE P. P. ORD. SERENISSIMORVM SAXON. DVCVM CONSILIARII ISENACENSIS AVLICI ET ARCHIATRI ET ACAD. NATVR. CVRIOSOR. COLLEGAE

PATRONI PRAECEPTORIS ATQVE FAVTORIS AETERNVM COLENDI HOSPITIS GRATIOSISSIMI

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA MORE MAIORVM RITE CONSEQVENDI PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMISSA

A

DIONYSIO KRAEGELIO

BREMENSI

AD D. XV. IVL. ANNO M DCC XXX.

LOCO ATQVE HORIS CONSVETIS.

IENAE LITTERIS RITTERIANIS.

I. N. I.

§. I.

MOtum partium ſolidarum, propulſionemque humorum & aliorum contentorum, per muſculos fieri, experientia & inueſtigatione anatomica conſtat.

§. II.

Sub muſculis autem hic etiam comprehendimus tunicas vel membranas muſculoſas, cum & fibras carneas habeant, & eadem agendi ratio adſit.

§. III.

Actio muſculorum obſeruatur vel voluntaria, vbi volente anima incipit, durat, deſinit, fortior vel remiſſior fit, pro nutu eiusdem; vel inuoluntaria, quæ nolente volente, imo inſcia, anima peragitur; vel mixta, quæ quidem etiam ſine animæ iuſſu perficitur, volente tamen anima determinari diuerſimode poteſt.

§. IV.

Voluntarium motum muſculorum ab anima rationali fieri, nihil repugnat, nec opus ad hanc rem explicandam habemus harmonia præſtabilita, quæ, ipſa nondum probata, nec vnquam probanda, fundamentum huius rei præbere poteſt minime.

§. V.

Inuoluntarius autem eorundem motus ideo animæ rationali tribui haud poteſt, quoniam nolente anima & inuita ſæpe contingit. Eodem vero temporis momento animam velle & nolle, cum contradictoria ſint, dici nunquam poterit.

§. VI.

Inuoluntarii motus muſculorum cauſa generalis irritatio dici ſolet; quæ, cum non adeo ſatis declarata reperiatur, a nonnullis plane reiicitur, quod tamen citra ſufficientem explorationem fieri non debebat. Cumque ſpecimen inaugurale exhibere iuſſi fuerimus, hanc meditationibus noſtris ſubiicere haud dubitauimus, tentaturi, quantum in re, tot difficultatibus inuoluta, progredi liceat. Faxit Sapientiſſimum Numen, vt in ſui gloriam hic vergat labor!

§. VII.

Irritatio alias notat citationem in motum & viuentibus tantum competit. Sine vlteriori autem nominis euolutione rem potius aggredimur, &, quid hoc loco ſit, ita definimus: Irritatio eſt concitatio adfluxus maioris ſpirituum animalium ad muſculos, quo contractio horum, nolente volente anima, præſtatur, a ſolutione continui fibrarum neruearum, adfluxui huic ad muſculos, vel immediate, vel per conſenſum, inſeruientium dependens.

§. VIII.

Spiritus animales vocamus eas particulas ſubtiliſſimas, quæ ex maſſa ſanguinea in cerebro ſecernuntur, & per neruos in totum reliquum corpus diſtribuuntur, & in organis aptis ſenſum & motum præſtant.

§. IX.

Dari tales, fruſtra quidam negant, cum nerui compreſ-

preſſio vel ligatura, harumque remotio, effectusque inde eueniens, id ſatis demonſtrent.

§. X.

Iisdem conſtat, ſine adfluxu horum ſpirituum muſculum nunquam agere poſſe, adeoque in irritatione cum contractio muſculorum eueniat, neceſſe eſt, adfluxum ſpirituum ad hos fieri.

§. XI.

Ordinarius adfluxus horum ſpirituum equidem ſemper fit, ſed ille tantus non eſt, nec eſſe debet, vt contractionem muſculi antogoniſtæ maiorem præſtet, cum alias contracti muſculi ſemper eſſe deberent. Igitur eo tempore, hoc loco in irritatione, vbi contractio muſculorum fit, adfluxus etiam maior requiritur.

§. XII.

Quoniam contractio muſculorum non ſemper fit, adeoque nec adfluxus ſpirituum maior (§. 11.) cauſa debet eſſe, quæ facit, vt hoc vel illo tempore fiat, ergo concitari tunc adfluxus debet maior, & hæc concitatio adfluxus maioris eſt genus irritationis.

§. XIII.

In motu voluntario etiam fit contractio muſculorum, adeoque & adfluxus ſpirituum maior, & concitatio huius adfluxus (§. 10. 11. 12.) vnde differentiam ſpecificam præbet cauſſa concitationis, quæ in motu voluntario eſt animæ illa vis, qua libere determinare motum ſpirituum valet (§. 3. 4.) in irritatione autem cauſa concitationis huius eſt ſolutio continui fibrarum neruearum, quæ haud ab anima, ſed aliis cauſis, animæ arbitrio haud ſubiectis, prouenit, vnde etiam in irritatione, nolente vo-

lente anima fit hic adfluxus ſpirituum maior, adeoque etiam muſculorum contractio.

§. XIV.

Subiectum irritationis principale ſunt fibræ nerueæ. His enim adfectis fit irritatio, liberis vero ſeu non adfectis nulla irritatio obſeruatur. Non minus obſeruatione conſtat, tam iis fibris nerueis, quæ immediate ſpirituum acceſſioni ad muſculos inſeruiunt, ita diſpoſitis irritationem oriri, vt in ipſo ventriculo v. g. ſi irritans cauſa hæreat, vomitus conſurgit; quam, ſi alii nerui, his conſentientes, eodem modo ſtimulum ſuſtineant, vt adfecto capite, adfectis renibus, ad ventriculi fibras nerueas adfluxus hic maior, & hinc vomitus, euenire ſolet.

§. XV.

Adæquatum irritationis ſubiectum muſculi ſunt, ad quos adfluxus hic ſpirituum fit maior, & hoc ipſo illorum contractio, vnde, ſi vni membranæ nerueæ plures conſentiant muſculi, illa ſola adfecta, hi quoque coniunctim ſimul adficiuntur. Ita irritatione membranæ narium facta, omnes muſculi reſpirationis adfluxum maiorem ſpirituum obtinent, & ſternutatio concitatur, idem quoque euenire videmus, membrana neruea interna bronchiorum irritata, vnde tuſſis ſequitur.

§. XVI.

Irritationis cauſam diximus eſſe ſolutionem continui fibrarum neruearum dictarum, & quidem cauſa hæc irritationis immediata eſt, qua poſita illa ponitur, qua ceſſante illa ceſſat. Solutio continui eſt ſoluta vnitas in fieri, ſeu tenſio & vellicatio fibrillarum neruearum. Hoc ipſum autem per inductionem probatur, cum nullus vnquam motus muſculorum inuolutarius contingat, niſi ob-

iectum

iectum tale, quod vel tenſionem vel morſicationem, ſeu vellicationem facit, adſit. Ita ſternutatio, tuſſis, niſi adfectata ſit, nunquam oritur ſine obiecto tali præſente, membranam narium, vel bronchiorum, ita adficiente, & ſic quoque in reliquis.

§. XVII.

Solutio continui autem doloris quoque cauſa immediata habetur, vt ex pathologicis patet. Cum autem immediata cauſa non niſi vnius effectus immediati cauſa eſſe poſſit, haud recte irritationi hanc tribui, videri poterat. Verum diuerſitas ſubiecti principalis etiam hic differentiam facit. Illa enim in illis fibris nerueis fit, quæ ſenſationi deſtinatæ ſunt, hæc autem in iis, quæ motum fibrarum carnearum efficere debent. Vnde etiam experientia docet, multas irritationes fieri absque ſenſatione moleſta, & motum vitioſum tantum inde conſurgere, vt in motibus epilepticis; dolores etiam ſatis graues ſine motu muſculorum tali occurrere. Combinari tamen hæc mala poſſunt, ſi vtriusque generis nerui ab eadem cauſa ſimul afficiantur.

§. XVIII.

Satis quidem ita certum eſt, ſolutionem continui adfluxum ſpirituum efficere maiorem, qua nam autem ratione id præſtet, nondum conſtat, adeoque, quantum fieri poteſt, inueſtigandum. Hoc indubitatum eſt, cum adfluxus hic per neruos in muſculos inſertos fiat, eundem maiorem fieri non poſſe, niſi vel per hos maiore celeritate ſpiritus animales accedant, quam ex muſculo redeunt, vel minore celeritate ex muſculo redeant, quam accedunt; æquali enim celeritate ſi accedant, qua etiam diſcedunt, minime in muſculo maior eorundem collectio vel accumulatio fieri poteſt.

§. XIX.

§. XIX.

Quorſum ſpiritus animales ex muſculis iterum abeant, maxime dubium eſt, vnde etiam quidam exiſtimant, eosdem tunc euaneſcere quaſi, & diſſipari, vel in ſanguinis vel lymphæ vaſa reuehentia ibidem eosdem penetrare. Nobis autem valde veriſimile videtur, ſubtiliſſimas has partes itidem per fibrillas nerueas ad cerebrum reduci, & ſic fibras nerueas arterioſas & venoſas dari, quarum illæ liquidum hoc nerueum ad partes vehunt, hæ autem iterum reuehunt, &, vt illæ ex arteriolis partis corticoſæ cerebri recipiunt ſpiritus animales, ita hæ in venulas, illis reſpondentes, eosdem iterum deponunt.

§. XX.

Ad hanc coniecturam ipſa conſideratio ſolutionis continui, irritationem efficientis, nos ducit. In omni enim ſolutione continui, cum adſit fibrarum tenſio, fibræ tenſæ autem intermedia ſpatiola coarctentur, fluidi per hæc ſpatiola tranſitus impeditur, hoc loco ſpirituum animalium; adeoque per tranſitum ſpirituum hoc loco impeditum maior eorundem adfluxus ad muſculum citatur. Quod ſi autem hoc contingeret in fibrillis nerueis ſpiritus aduehentibus, effectus hic conſequi non poſſet, nam neceſſario adfluxus minueretur, cum remora accedentibus obiecta ſit. Igitur in his fibris nerueis, quia exinde non imminutio ſed augmentatio adfluxus apparet, non tam adfluxus quam refluxus ſpirituum fieri videtur. Refluxus autem ſpirituum impeditus adfluxum facit maiorem (§. 18.) adeoque explicari ita poſſet, quomodo ſolutio continui fibrarum neruearum adfluxum maiorem ad muſculos præſtaret.

§. XXI.

§. XXI.

Imo explanari ita commode quoque valeret, quomodo fibræ nerueæ, hoc modo adfectæ, per conſenſum in aliis & pluribus muſculis adfluxum ſpirituum maiorem excitandi vim haberent, vt exemplo membranæ nerueæ narium, a qua adfecta ſternutatio fit, aliarumque partium, id notum eſt. Probabile enim non eſt, v. g. ex membrana narium, ita vellicata, ſpiritus copioſiores ad muſculos reſpirationis propelli motumque illum excitari (§. 20.) fibræ nerueæ vero, ſpiritus ex muſculis reducentes, & per membranam talem tranſeuntes, ſi ita affectæ ſint, refluxum impediendo, eodem modo ac §. 20. dictum, efficere adfluxum in dictis muſculis maiorem poſſent. Perinde enim eſt, cum fibræ nerueæ reuehentes repletæ ſint ſemper, in quo earundem puncto ſolutio continui, & hinc remora, fiat. Vlterioribus autem meditationibus hanc coniecturam relinquimus, vt, pluribus inuentis phænomenis & rationibus, eandem vel magis confirment, vel deſtruant.

§. XXII.

Stante hac hypotheſi, ſequeretur etiam, adfluxum maiorem ſpirituum animalium ad muſculos, in motibus inuoluntariis magis per refluxum eorum impeditum, in motibus autem voluntariis per acceleratam eorundem ex cerebro acceſſionem, quam anima præſtaret, euenire.

§. XXIII.

Solutionem continui hoc loco quæ efficiunt, cauſſæ mediatæ proximioris locum ſuſtinent, & ſunt omnia ea, quæ in dictis neruis vellicationem vel tenſionem præſtant, & generatim obiectum irritans commode dicitur. Obiectum autem irritans vel in corpore alias iamdum hæret, & conſtitutionem talem vel naturalem, vel præternatura-

lem, adquirit, vel ab extra ad corpus accedit. In corpore hærens eſt vel naturale, vel ex naturali præternaturale factum, vel toto genere præternaturale. Ab extra accedens eſt vel aſſumptum, vt vomitum & aluum citantia, acria, roſiua, venena; vel per inſpirationem in bronchia receptum, vt exhalationes acres, puluerulenta aeri mixta; vel alias corpori applicatum, tenſionem, puncturam, diſtorſionem, preſſionem, vellicationem talem efficiens.

§. XXIV.

Naturale obiectum irritans eſt vel fluidum, vel ſolidum. Fluidum ſunt tum humores alimentarii, tum excrementii. Ex ſolidis occurrit fœtus maturus in vtero hærens. Ex humoribus alimentariis eſt ipſa maſſa ſanguinea, quæ quantitate ſua conueniente tum cordis tum arteriarum cauitates replendo, & parietes diſtendendo, fibris nerueis motricibus ſolutionem continui, & irritationem, naturalem conciliat. Eadem tam rarefactione, quam acrimonia, naturali tamen adhuc, fibras nerueas cordis & arteriarum motrices irritat, vt contractio paulo velocior, & fortior, naturalis tamen, eueniat. Non minus motus maſſæ ſanguineæ, per voluntarium muſculorum motum auctus, diſtenſionem & irritationem efficere poteſt, vnde poſt motum fortiorem pulſus cordis, arteriarumque motus, euadit citatior & vehementior, quanquam etiam tunc reliquæ concurrere cauſſæ queant.

§. XXV.

Ex humoribus excrementitiis vtilibus ſemen ſpirituoſum & quantitate & qualitate ſtimulat, & muſculorum erectorum contractionem efficit. Ex inutilibus exemplum præbet vrina, quæ & quantitate & qualitate irritare fibras veſicæ vrinariæ motrices ſolet in ſtatu maxime naturali. Ad

hanc

hanc claſſem etiam referri poſſunt fæces alui, quæ itidem tam copia, quam acrimonia, ſtimulum fibris nerueis inteſtini recti, &, per conſenſum, reliquarum partium, hanc excretionem iuuantium, inferunt, quod & reliquis excretionibus naturalibus commune eſſe ſolet. Fœtus maturus in vtero tum preſſione oris vteri capite globoſo, prægreſſo eius ſitu mutato, facta, tum diſtenſione totius vteri, a pedum inprimis, & totius corpuſculi, extenſione, quatenus, capite ori vteri interno incumbente, pedes fundum vteri ſua elongatione ſurſum vrgent, tam membranas rumpit, quam tenſionem fibrarum neruearum motricium & ſentientium, & inde prouenientes dolores & irritationem, infert.

§. XXVI.

Præternaturale obiectum irritans, ex naturali factum, ſunt vel humores, vel flatus, vel ſpiritus, vel partes ſolidæ, vitiata. Ex humoribus alimentariis immediatis eſt maſſa ſanguinea, quæ, quantitate peccans nimia, vaſa diſtendendo irritat quidem, ſed, cum vbique æqualis ea ſit, nec ſpatium, quorſum ſanguis abire preſſus poſſit, detur ſufficiens, reſiſtentiam, & ita circulum ſanguinis impeditiorem, efficit. Alternatim enim facta irritatio, & propulſio ſanguinis, cum ſpatium ita detur, minorque reſiſtentia, motum liberiorem præſtat. Qualitate peccans maſſa ſanguinea irritans euadit, ſi in eadem emineat acrimonia vel billioſa, vel acida, vel acido-bilioſa. Acrimonia bilioſa, & acido-bilioſa, ſanguini magis immerſa, & ὀϱγασμὸν maſſæ ſanguinis excitans, vaſa ſanguifera irritare, citatioremque & fortiorem contractionem & pulſum inferre, & hinc tum aliis, tum hæmorrhagiis, occaſionem præbere, ſolet. Eadem, & acida, ſero magis immerſa, ſubtiliorque

euadens, vt ad poros neruorum penetrare valeat, ibidem vellicationem efficit, & inde oriuntur conuulſiones & motus conuulſiui. Motu maſſa ſanguinea peccans obiectum irritans fit, ſi extra vaſa abeat, & fibras nerueas motrices vellicet, ſic ad bronchia pulmonum ſi ruat, vaſe aperto, eorundem membranam internam premendo, & vellicando, tuſſim facit, in hæmoptyſi; ad ventriculi cauitatem penetrans, eiusdem fibras nerueas adficit in vomitu cruento. Mediatus humor alimentarius eſt chylus, qui in ventriculo, ex alimentis non rite elaboratus, in cruditates abit, & ibidem hæ collectæ, tam quantitate quam acrimonia, tendunt, vellicant, vomitumque cient, vnde, pro cruditatum diuerſitate, vomitus vel pituitoſus, vel biliosus, vel ſeroſus, vel acidus &c: conſurgit. Idem quoque in inteſtinis fit, vbi diarrhœa ſequitur.

§. XXVII.

Humores excrementitii quoque vtiles, quantitate & qualitate peccantes, obiectum irritans euadunt. Sic ſerum acre circa meninges, in cauitatibus cerebri, et circa fibras nerueas ibidem, hærens, conuulſiones & epilepticos motus excitat; membranam narium vellicans ſternutationem mouet, ad ventriculum regurgitans vomitum facit, ad inteſtina decubitum faciens diarhoeas inducit. Ita bilem tam ventriculum, quam inteſtina hoc modo adficere, vomitus & diarrhoea inde orta docent. Semen, corruptum acreque redditum, ita agit in priapiſmo. Excrementitii humores inutiles acriores redditi, vel quantitate maiore ſecreti, morſicando & tendendo idem præſtant, vnde vrina, ita vitiata, diabeten & ſtranguriam; fæces alui, ita peccantes, diarrhoeam & teneſmum inferunt.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Flatus quoque, quantitate & acrimonia peccantes, obiectum irritans fiunt, in ventriculo tunc ructus, vt & ſingultum, excitantes; ita vaporoſa materia, auræ nomine, in partibus his illis hærens, & epilepſiam excitans, tale obiectum eſt. Imo ipſi ſpiritus animales, intemperati & acriores redditi, & in vehementiorem motum citati, efferatique euadentes, fibras nerueas ita adficiunt, vt tenſio & vellicatio earundem fiat. Hinc animi adfectus grauiores, ira, terror, &c: prompte admodum epilepſiæ paroxyſmum inuitant.

§. XXIX.

Solidarum partium durarum irritantium exemplum præbent fragmenta oſſium acuta, quæ, pungendo fibras nerueas, vt in meningibus, epilepſiam & motus conuulſiuos poſt ſe trahunt. Molles quoque tenſionem talem efficere valent, ſi fibrillæ quædam in vnitate actu læſæ ſint, vbi hæ, diuiſæ ſe contrahentes, quod omnibus fere fibris mollibus commune eſt, vicinas fibrillas nerueas integras, quibus adnexæ ſunt, ita tendunt, & ſolutionem continui in illis faciunt. Atque hoc fit in vulneribus quibusdam, & maxime in punctura neruorum ac tendinum, & hinc prompte conuulſiones vel motus conuulſiui ſequuntur. Par ratio eſt, ſi quædam nerui cuiusdam fibrillæ ſectione ita diuidantur, reliquis adhuc integris permanentibus. Rem autem ita ſe habere, exinde conſtat, quod, tali vellicatione et tenſione præſente, ſi nerui, ita læſi, reliquæ fibræ, adhuc integræ, etiam diſcindantur penitus, omnis irritatio, & inde ortus motus conuulſiuus in momento ceſſet, quod etiam remedii genus, ſi reliqua præſidia omnia irrita fuerint, aliquando amplectendum eſt, vt ſaltim vita conſeruetur.

§. XXX.

Toto genere res præternaturales, in corpore iam hærentes, obiectum irritans conſtituentes, ſunt vermes & calculi. Illi morſicando, pungendo & vellicando inteſtinorum, aliarumque partium, vbi hærent, fibras nerueas id efficiunt, vnde motus conuulſiui & epilepſia a vermibus haud raro videtur. Hi tamen non ſolum ipſi immediate id præſtant, ſed etiam mediate, humores acres reddendo, dum partim vtiliores chyli particulas abſumunt, partim autem recrementis ſuis chylum, & hinc maſſam ſanguineam, conſpurcant. Calculi magnitudine ſua, inprimis autem eminentiis inæqualibus acutis, tendendo & pungendo id effectum dant, nonnunquam etiam, dum acriores particulæ ipſius adhæreſcunt ſuperficiei, & ita retinentur, quæ alias excernerentur, &, mora accedente, adhuc acriores euadunt, ob hanc cauſam obiectum tale fiunt.

§. XXXI.

Ab extra ad corpus accedentia, hunc effectum præſtantia, varia ſunt, vt in narium cauitatem per inſpirationem abeuntia puluerulenta, acria, membranam eiusdem vellicantia, quæ ſternutationem mouent. Ad pulmones ſimilia eodem modo deriuata membranam bronchiorum adficiunt, tuſſimque citant. Per os deglutita, huius conditionis, vt fibras ventriculi & inteſtinorum vellicent, vt alimenta fermentatiua, acria, purgantia, vomitoria, venena, & ſimilia, id ſatis oſtendunt. Ano quoque ab extra indita, in clyſteribus & ſuppoſitoriis, idem efficiunt, maxime ſi acriora ſint. Res pungentes, prementes, rodentes, tendentes, morſicantes, ab extra nerueis fibrillis applicatæ, huc ſpectant, vt inſtrumenta acuta, ignis, aculei & dentes animalium, vt viperarum, & reliqua.

§. XXXII.

§. XXXII.

Quæ humorum, flatuum, ſpirituum, partiumque ſolidarum laudata vitia præſtant, ſunt cauſæ mediatæ remotiores, ex rebus naturalibus non naturalibus & præternaturalibus deſumptæ. Temperamentum ſanguineum plethoræ inferendæ, & lumbricis excludendis, aptum eſt; cholericum cacochymiæ & acrimoniæ bilioſæ, vt atrabilarium acido-bilioſæ, fauet; melancholicum acidi & tartari prouentum auget; ſeroſum & pituitoſum ſero acriori, aliisque huc facientibus, anſam præbet. Aetas minor, tam ob lactis vitia, quam alios errores, inprimis etiam ob fibrarum neruearum texturam teneriorem, dentitionem, & alia, facilius ita læditur. Adulti, ob lymphæ naturalem imminutionem, ſalium autem maiorem eminentiam, erroresque enormiores, obiectum irritans facilius ſibi conciliant. In ſenibus lymphæ vappeſcentia & ſpirituum debilitas occaſionem huic rei præbet. Sexus ſequior, teneriorem texturam habens, & vteri culpa, his eſt expoſitus. Habitus corporis delicatior & tenerior facilius a cauſis reliquis, huc facientibus, adficitur, quam robuſtior, in quo mitiores cauſæ ſæpe reſiſtentiam eam inueniunt, vt agere ſufficienter nequeant. Habitus gracilior, ob acrimoniam magis iamdum præſentem, eidem augendæ; obeſior, inprimis in infantibus, ob vaſa anguſtiora, humorumque inde circulum impeditiorem, ſpiritusque & neruos debiliores, obiecti irritantis vi augendæ aptus eſt.

§. XXXIII.

Ex nonnaturalibus aer calidior, cum ſerum blandum nimis diſſipet, euolutionem partium acriorum & bilioſarum, earumque concentrationem, magis efficit. Frigidior, ſecretionem & excretionem particularum acriorum

rum impediendo, ſalibus augendis fauet. Effluuiis peregrinis ſcatens & acribus, tam immediate, reſpiratione receptus, ſtimulum præſtat, quam tali in corpore producendo occaſionem adfert. Alimentorum quantitas nimia reliquis conſentientibus plethoram infert, alias autem cruditatibus, & cacochymiæ variæ, pro reliqua corporis conditione, excludendis & fabricandis inſeruit. Deficiens alimentum, cum balſamicarum gelatinoſarumque blandarum reſtauratio non fiat, augmentum ſalium & acrimoniam, pro ratione temperamenti & ſtatus corporis reliqui, diuerſam poſt ſe relinquit. Potus excedens, in primis vinoſus, cruditates acidas tartareas auget, & hinc acrimoniam promouet; deficiens ſalia concentrat, & acuit, eorumque ſecretionem conuenientem impedit. Qualitas alimentorum non minus & efficaciter huc facit. Acria enim, nimis ſalita, acida, aromatica, flatulenta, fumo indurata, aere exſiccata, fermentatiua, viſcida, ſalium retentioni inſeruientia, eorumque ſecretionem in viſceribus, & excretionem in partibus debitis, impedientia, varie hic ad obiectum irritans excludendum concurrunt, eique materiam præbent. Potus qualitas nimis ſpirituoſa, in primis quantitate accedente, difflationi maiori lymphæ blandæ, diluentis & demulcentis, acuendisque alias ſalibus, habilis deprehenditur. Motusnimius blandas partes nimis diſſipat, bilioſarum acriorumque particularum euolutionem maiorem promouet, adeoque hic etiam in culpa eſſe poteſt. Defectus motus ſecretionem & excretionem retardat, ergo materiam obiecti irritantis auget.

§. XXXIV.

Somnus nimius, quatenus iam dictarum particularum ſepa-

ſeparationem impedit concurrere poteſt, alias ſtimulos torpidiores magis reddit. Vigiliæ autem excedentes ſalibus augendis, balſamicis & ſpirituoſis vero depauperandis, aptæ inueniuntur. Adfectus animi efferantes ſpiritibus intemperiem, & hinc etiam humoribus acrimoniam, conciliant, vnde promptiſſime epilepſia & aliæ commotiones emergunt. Concentrantes autem ſubito, vt terror, prius ſeceſſum impediendo, poſtmodum autem euolutione copioſiori ſubſequa, turbationem & intemperiem augent. Excretio partium temperantium, diluentium & balſamicarum, nimia, dum actiuioribus eminentiam exhibet; retentio autem, cum partium actiuiorum, acrium, ad ſeceſſum iamdum paratarum, vt ſanguini denuo hæ commiſceantur, faciat, adeoque vim & euolutionem reliquarum ſimilium in maſſa ſanguinea hærentium augeat, ſtimulo tali naſcendo ſuccurrit. Et hoc in omnibus organis excretoriis, vt in poris cutis, viis vrinariis, in aluo, vt & in vtero, ac hæmorrhoidibus, reliquisque fieri ſolet.

§. XXXV.

Ex præternaturalibus, quæ acrimoniam talem pro cauſa agnoſcunt, vel eandem efficiunt, huc ſpectant. Hinc febres continuæ & intermittentes, inflammationes grauiores, adfectus hypochondriacus, ſcorbutus, adfectus hyſtericus, lues Venerea, & ſimilia mala, huius ſunt commatis. Non minus, quæ tenſionem in fibris nerueis motricibus excitant, & vel iam ſuperius recenſita ſunt, vel addi poſſunt facile, ad hanc claſſem pertinent.

§. XXXVI.

Differentiam irritationi præbet vel cauſa mediata proximior, vel ſubiectum, vel gradus, vel duratio. Ratio-

tione cauſæ mediatæ proximioris, ſeu obiecti irritantis, eſt vel naturalis vel præternaturalis, illa cauſam naturalem tantum agnoſcit (§. 24. 25.) hæc a cauſis præternaturalibus (§. 26. ſeqq.) prouenit. Præternaturalis ea, quæ ex humorum vitio tali ortum habet, vt, euacuatione ſpontanea conſequente, poſtmodum maſſa ſanguinea ab eodem magis vel minus perfecte liberetur, critica vocatur; quod ſi vero in deterius illa inde ruat, ſymptomatica eſt. Ipſum autem obiectum irritans diuerſum quodlibet peculiarem quoque præbet differentiam.

§. XXXVII.

Subiecti ratione eſt vel per eſſentiam vel per conſenſum; vel vniuerſalis vel particularis; vel in fibrarum neruearum vel origine, vel progreſſu, vel inſertione. Partes etiam, vbi hærent fibræ nerueæ, differentiam & nomen præbent, vt irritatio meningum, cerebri, membranæ narium, bronchiorum pulmonum, ventriculi, inteſtinorum, & reliquarum. Reſpectu gradus eſt vel mitior, leuis, vel grauior, & vehemens. Pro durationis diuerſitate eſt vel continua, vel interpolata, & hæc vel periodica, vel nullum certum tempus obſeruans; vt & vel breuis, vel longa.

§. XXXVIII.

Effectus irritationis immediatus eſt contractio fibrarum carnearum inuolutaria. Hæc autem, pro harum fibrarum ſitu, connexione, & diſpoſitione reliqua, in ſtatu naturali motum vtilem, & excretionem contentorum conuenientem & ſalutarem, vt corpus ſanum & integrum permaneat, præſtat; in ſtatu præternaturali autem vel motus conuulſiuos, & conuulſionem, partium annexarum, vel

pro-

propulſionem contentorum citatiorem, vel eorundem excretionem, vel etiam retentionem, vel nimiam diſtenſionem fibrarum neruearum ſentientium, & hinc dolorem ſimul maiorem, &, his mediantibus, innumera alia ſymptomata efficit, quorum plura in ante dictis fuere recenſita, & in ſpecialiori conſideratione demum occurrunt, quæ iam noſtri inſtituti non eſt.

§. XXXIX.

Irritatio præternaturalis generatim ex effectu manifeſto, motu inuoluntario, conuulſione, excretione inconueniente, nonnunquam & retentione, reliquisque (§. 38.) & ſuperius notatis, cognoſcitur, vbi vna pars adfecta ſe manifeſtabit, vel, in ſenſus incurrens, reliquis eruendis occaſionem præbebit. Nec parum iuuabit, cauſſarum præcedentium manifeſtarum examen, hinc & excretorum & retentorum conditio. Specialiores autem exinde orti adfectus, vel ſtata certaque iam habent ſigna, vel per coniecturam artificioſam eruuntur. Hoc ante dictorum inueſtigatione perficitur, illa autem in ſpecialiori tractatione recenſeri ſolent, quorſum reliqua pertinent.

§. XL.

Euentus ratione periculoſa eſt irritatio, ſi partes nobiliores vehementius, & a cauſa graui & rebelli, ita adficiantur, nec remiſſio breui ſequatur; mitior autem, vel periculo carens, eſt ſtatus, ſi his contraria adſint. Variant tamen hæc, nec, niſi ſpecialiora reſpiciamus, adeo exacte determinari poſſunt, quod hic fieri nequit. Diu durare vehemens, & actiones vitales enormius lædens, irritatio haud poteſt, quin breui perimat vel ceſſet. In ignobili-

C 2 liori-

lioribus autem partibus ſi ſit, nec grauiorem gradum, nec cauſam pertinacem habeat, breuiori ſuperari poteſt tempore. Ad ſalutem abit cauſa irritante correcta & remota, & partibus, inde læſis, reſtauratis; & id aliquando ſubito, criſi facta, nonnunquam autem ſucceſſiue obtinetur. Ad mortem autem vergere ſolet vel reſolutis & deſtructis ac exhauſtis ſpiritibus, vel circulo ſanguinis impedito & ſuffocatione. Quæ omnia in ſpecialioribus irritationibus, ſecundum circumſtantias tunc emergentes & præſentes, accuratius definiri poſſunt.

§. XLI.

Curatio irritationis præternaturalis fieri aliter non poteſt quam ſolutionis continui correctione, hæc autem cum, per dicta, ab obiecto irritante præternaturali, fibrillas nerueas adficiente, eueniat, requirit, vt 1) obiectum irritans corrigatur & remoueatur 2) fibrillæ nerueæ adfectæ demulceantur & roborentur 3) ſymptomata exinde prouenientia vrgentia tollantur vel mitigentur.

§. XLII.

Obiectum irritans ſi ſit maſſa ſanguinea quantitate peccans nimia, venæſectio prompte ſuppetias fert, vel reliqua huius ſuccedanea, vt ſcarificatio, vel ſanguiſugarum applicatio. Locus & quantitas huius euacuationis a reliquis circumſtantiis coniunctis determinari debet, ſufficiens tamen vt ſit, neceſſe eſt. Succurrit etiam huic cauſſæ victus tenuior & parcior, ſufficiens tamen, motusque corporis proportionatus.

§. XLIII.

Acrior maſſa ſanguinea ſi in culpa ſit, partes illæ, acrimoniam ipſi conciliantes, corrigendæ & eliminan-

minandæ ſunt. Corrigunt abſorbentia, diluentia, mitigantia, aliquando etiam illas a viſcido, cui immerſæ ſunt, liberantia, & hinc reſoluentia. Biliosa ſi ſit acrimonia inter alia ſimul conueniunt acidula, ſalia media. Acida alcalinis & alcalibus fixis vel volatilibus, præter dicta, emendatur. Et ſic ſemper ſpeciali ſalium texturæ adæquata opponenda ſunt alterantia, & in his quoque aperientia. Euacuando autem partes acres eliminantur, vbi diaphoretica, purgantia, diuretica, ſaliuantia aliquando, aliaque interpoſita proſunt. Quænam autem ex his magis ſeligenda ſint, vt exacte indicantibus reſpondeant, ſpecialis adfectus & circumſtantiæ oſtendent. Probe quoque in ſelectu remediorum ſemper attendendum, acres hæ partes ſanguini proprie dicto; an ſero magis, immerſæ ſint.

§. XLIV.

Motu ſanguis peccans, & extra vaſa hoc loco abiens, ſi ſit, poſtulat, vt acceſſus eiusdem vlterior prohibeatur, reuellendo venæſectione, rarefactionemque corrigendo abſorbentibus, nitroſis, recte remixtis, aliisque ſpecialibus debitis, vaſcula aperta firmando & roborando, traumaticis ſelectis, non rarefacientibus; deinde vt ſanguis, peregrino loco hærens irritationemque præſtans, partim educatur, partim autem, ne inchoreſcat, reſorbeatur. Eductio ſponte fit, reſorptio autem promouetur per reſoluentia blanda, reliquis medicamentis remiſcenda.

§. XLV.

Chyli in cruditates abeuntis vitium, ſi irritationem ventriculi vel inteſtinorum efficiat, hoc corrigendum eſt. Cruditatum harum qualitas & quantitas vitioſa emendari debet, alterantibus, aperientibus & euacuantibus, & qui-

dem pro earundem præſenti conditione, vt vel pituitoſis, vel bilioſis, vel ſeroſis, vel acidis, eminentibus particulis recte ſint oppoſita, quod ſpecialis adfectus præſens monſtrat.

§. XLVI.

Seri quantitas ſi irritet, imminutione eidem mederi debemus, quam diaphoretica, purgantia, reliquaque euacuantia præſtant. Qualitati autem irritanti tam alterantia, quam euacuantia particulas acres, ſuccurrunt, ita tamen, vt partis adfectæ & morbi ſpecialis præſentis habeatur ratio, vnde hæc ad ſpecialiora pertinent. Eodem modo reliquorum humorum excrementitiorum, tam vtilium quam inutilium, quantitas & qualitas irritans, pro cuiusque conditione, & circumſtantiis præſentibus, correctio & remotio vt fiat, neceſſe eſt, ſi irritationem curare velimus.

§. XLVII.

Flatus irritantes carminatiuis, reſoluentibus, abſorbentibus, mineram eorum corrigentibus, diſcutiuntur & emendantur, purgantibus autem tum ipſi, tum minera eorum, remouentur. Aura ſubtilior irritans ſpecificis antepilepticis, præmiſſis vniuerſalibus, oppugnanda eſt. Spiritus animales intemperati, & efferati redditi, humorum vitalium acrimonia correcta, miteſcunt, mineram, in viſceribus obſtructis haud raro latitantem, haud negligendo, & adfectus animi grauiores vitando.

§. XLVIII.

Fragmenta oſſium acuta pungentia ſi adſint, ope chirurgica remoueri & emendari debent. Fibrillæ, actu diuiſæ, ſi in culpa ſint, vt integræ connexæ nimis tendantur, illæ

illæ demulcendæ ſunt, ne corrugationem maiorem ſubeant, hæ autem roborandæ veniunt, vt reſiſtere illarum actioni magis queant. Hoc faciunt ſpirituoſa, oleoſa, mature adhibita, vt in punctura neruorum docetur, vel ſi, neglectis his, malum grauius euaſerit, quam vt auxilium obtineri poſſit, nerui diſſectio, reliquis conſentientibus, proponi poterit.

§. XLIX.

Vermium & calculorum correctio & remotio ſeorſim doceri conſueuit, quæ huc inde repeti poſſunt. Ab extra ſi obiectum irritans ad corpus accedit, ante omnia continuatio eiusdem eſt arcenda, & id, quod iam in corporis ſuperficie, vel cauitate quadam, hæret, quantum vllo modo fieri poteſt, remoueri debet, fieri id ſi non poſſit, vis eiusdem omni modo infringenda eſt, læſionesque in corpore excitatæ, irritationemque fouentes, corrigendæ veniunt. Hæc autem, cum varia & diuerſiſſima ſint, diuerſasque partes, & quidem varie, adficiant, licet in eo conueniant, vt irritationem citent, generali tractatione vlterius perſequi haud poſſumus, adeoque ſpecialiori conſiderationi reſeruanda ſunt.

§. L.

Fibrillas adfectas demulcent neruina, balſamica, oleoſa, ſulphurea, anodyna, interna & externa. Interne cinnabarina, ſuccinata, emulſiones, opiata, reliquis interpoſita vel apte remixta, vtilia ſunt, exterius ſpirituoſa, oleoſa, linimenta, vnguenta & ſimilia, habere poſſunt locum. Nullum tamen horum promiſcue proponi poteſt vel debet, ſed obiecti irritantis, partis adfectæ, ſymptomatum-

matumque præſentium, reliquarumque circumſtantiarum præmiſſa accurata inueſtigatio atque conſideratio, vt & ratiocinatio recte inſtituta, genuina, & in præſenti caſu magis proficua, remedia ſubminiſtrabit. Roborant fibras eadem neruina, traumatica, blanda adſtringentia, & in quibusdam caſibus volatilia, ſimplicia vel oleoſa. Circa quæ tamen eadem, modo tacta, obſeruatio maxime attendenda erit, vt deſideratus effectus obtineatur.

§. LI.

Symptomata vrgentia, ex irritatione prouenientia, ſi dictis non vna mitigationem recipiant, ſed potius difficultatem medendi adferant maiorem, ex ſuis loculis debent corrigi. Hoc enim loco, cum infinita fere ſint, ſpecialioremque poſtulent conſiderationem, expediri hæc res haud poteſt. Generatim tamen notari poterit, quod in quolibet ſymptomate vrgente ſpecialiſſima eiusdem cauſſa proxima inueſtiganda ſit, facilius enim tunc perſpicitur, quid recte ad eiusdem mitigationem, vel ablationem, eligi & adhiberi debeat.

§. LII.

Diæta tandem ſingulis ſubiectis, cauſis præſentibus, morbisque ſpecialibus coniunctis, conueniens ordinanda eſt, quod etiam commode ex cauſſarum morbificarum prægreſſarum nonnaturalium notitia determinari ſimul poteſt. Vti enim illæ anſam irritationi dedere, ita diæta iisdem contraria & emendans ſtatim ſe offert.

SOLI DEO GLORIA!

IOANNIS ADOLPHI WEDELII

PHILOS. ET MED. DOCTORIS
CHIMIAE ET PRAXEOS PROFESS. PVBL. ORDINARII
SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM CONSILIARII
ISENACENSIS AVLICI ET ARCHIATRI ET ACAD.
NAT. CVR. COLLEGAE ET FACVLTATIS
MEDICAE H. T. DECANI

PROPEMPTICON INAVGVRALE
DE

PICIS ET RESINARVM CONSISTENTIA,

QVA SPONTE DIFFLVVNT, CORRIGENDA, ABSQVE TAMEN DVRITIE IIS INDVCTA.

IENAE LITTERIS RITTERIANIS.

I. N. I.

MOleſtum ſæpenumero eſt, ſi forma medicamenti externa minime ita permaneat, prout deſiderauit medicus, & pharmacopoeus intendit.

Id tum alias, tum in emplaſtris haud raro videtur, vbi, licet ad præſcriptum magdaleo ſeu cylindrus inde fuerit formatus, breui tamen tempore hanc ſuam figuram amittit, maſſa, ad contactum licet dura viſa, diffluente.

Inprimis in cerato pro hernioſis Norimbergenſium, & emplaſtro ad herniam Londinenſium, ſæpe id nobis ſe obtulit conſiſtentiæ vitium, quod cylindrica forma ex pharmacopolio allatum, prius quam literæ ad ægrum exarari poterant, eandem amiſit, nec, remiſſum licet, vt emendaretur, aliam rediens accepit conditionem, breui enim idem contingebat.

In cerato Norimbergenſium ceræ & reſinæ proportionem, quæ pharmacopoei arbitrio alias relinquitur, in culpa eſſe, facile coniiciebam, in Londinenſium autem emplaſtro, cum omnium ingredientium quantitas determinata ſit, picem naualem, decentem conſiſtentiam non habentem, fuiſſe adhibitam, vel terebinthinæ maiorem quantitatem additam, ſuſpicabar.

Reſina enim aliis, ſiccioribus licet, ita remixta, vt durior digitis conſiſtentia ſe offerat, niſi quantitas decens probe obſeruetur, facile diffluit, mora aliqua accedente; nec picis alia eſt conditio, inprimis in hoc emplaſtro, quod terebin-

rebinthinæ habet acceſſionem, cuius aucta doſis eo magis id efficit.

Conſiſtentiam duriorem reddere, conſultum non erat, minus commode enim illini tunc potuiſſent, adeoque tale remedium adferri debebat, quod conſiſtentiam magis reſiſtentem haud conciliaret, diffluendi autem vim impediret.

Hoc autem ſolius ceræ additione ſufficiente ſtatim obtinui, & quidem ita, vt, addito etiam olei tantillo, paulo mollior, & aptam conſiſtentiam habens, euaſerit maſſa, non autem amplius diffluxerit.

Exigui quidem momenti experimentum hoc videtur, inſignem tamen vſum in ſimili caſu, & alias in hydraulicis, habere poteſt.

In hydraulicis enim experimentis rite inſtituendis, & aliis machinis conuenienter adornandis, maſſa talis emplaſtica, qua connecti ſibi inuicem canales, & aperturæ, pro arcendo aere & aqua, occludi, &, requirente vſu, iterum remoueri, & aperiri, prompte citra moram poſſint, eſt ſumme vtilis & neceſſaria.

Talem artifex Belgicus alias ex minio ſolo & oleo lini, ad conſiſtentiam conuenientem coquendo, parabat, inſtar ceræ tractabilem.

Commodior vero & paratu facilior talis quibusdam in vſu eſt, quæ ex pice nauali & ſebi ſufficiente quantitate, moderato calore liquando & miſcendo, conficitur, hæc autem cum itidem facile diffluat, adhuc magis commoda fit, ſi ceræ flauæ ſuboctuplum addatur, ita enim nec diffluit amplius, & adhæſionem æque firmam, imo firmiorem, obtinet, & manibus longe melius tractari valet.

Conſiſtentia enim picis diffluens dependet a particulis eiusdem oleoſis volatilibus, quæ, per ignem coctione

non ſufficienter imminutæ, inſtar ſphærularum, reliquis particulis firmioribus interpoſitæ mobiltatem, a grauitate particularum pendentem, permittunt, vt ſic lente ac ſucceſſiue diffluant. Cum autem inutiles hæ partes, in mixto inde futuro, haud ſint, non tam diſſipatione vlteriori conſiſtentiam hanc emendare commodum eſt, quam potius additione ceræ, quæ occultare plures tales partes absque metu fluoris poteſt, & maſſa tamen mollis conſeruatur pro lubitu.

Mollities enim haud ſemper a durioribus additis, niſi maiore quantitate id fiat, minuitur, ſed aliquando augetur, imo duriora quædam corpora ſibi mixta mollitiem oſtendunt, quæ in neutro antea deprehendebatur. Ita colophonia durior eſt, ſebum durius eſt, vtraque autem, æquali quantitate ſibi blando igne mixta, conſiſtentiam haud firmiorem, ſed mollem, inſtar terebinthinæ fere, obtinent. Ita myrrhæ ſi camphora blando igne miſceatur, conſiſtentiam, inſtar ceræ, ductilem & flexilem adquirit. Premittere hæc voluimus diſſertationi inaugurali de IRRITATIONE clariſſimi medicinæ Doctorandi

DIONYSII KRAEGELII

LVcem is primam adſpexit Bremæ, libera imperiali & Anſeatica vrbe, anno MDCCV. d. XXIV. Septembr. Patre integerrimo Dn. CONRADO KRAEGELIO, Pharmacopœo peritiſſimo, matre METTA, nata DWERHAGEN, Dn. IO. DVVERHAGEN p. m. mercatoris quondam florentiſſimi filia.

Ferente ætate, tam domeſticis inſtitutionibus, quam publicis, in primis in pædagogio patrio, formatus fuit.

Sufficienter ita iactis fundamentis, anno MDCCXXIII. finitis feriis Paſchalibus, Rectore t. t. Magnifico, Viro

plurimum Reuerendo atque doctiſſimo p. m. Dn. GODOFREDO IÜNGSTIO, S. S. Theol. D. atque P. P. O. in ſtudioſorum numerum eſt receptus.

In humanoribus hinc ſtudiis præceptorem nactus eſt Dn. IO. HAVIGHORSTIVM, S. S. Theol. vt & eloquentiæ P. P. O. Bibliothecarium, Pædagogiargam atque Regiæ Boruſſ. Scientiar. Academiæ Collegam, publice hiſtoriam Deorum docentem, priuatim autem regulas Eloquentiæ tradentem.

Matheſin proponentem audiuit Cl. GEORGIVM ALBERTVM KRÜGERVM,Ittheſ. P. P. Extraordinar.

Medico cum a Parentibus cariſſimis deſtinatus eſſet ſtudio, ex ore Excell. & Experientiſſimi Dn. LVDOLPHI HENRICI RVNGII, Phil. & Medic. D. & P. P. Ord. Facult. Med. Senioris, & Reipubl. Patriæ Phyſici, priuatim Phyſicam, tam theoreticam, quam experimentalem, Logicam, atque Anatomen; publice autem doctrinam de Legibus Aſtronomicis, & Iudicio rite formando, percepit, eiusque manuductione in exercitio diſputatorio in Theſes quasdam phyſicas eſt vſus.

Auditor quoque Viri Excell. & Experientiſſimi Dn. HERMANNI HEINECKEN, M. D. & P. P. O. & Reipubl. Patriæ Phyſici, fuit, dum priuatim Inſtitutionum Boerhauianarum, & præcipue quidem in Theſes phyſiologicas, explicationem traderet, publice autem Oſteogeniam & Oſteologiam exhiberet.

Triennio ita conſumto, iuſſu parentum Caſſellas petiit, ibique Anatomiam atque Chirurgiam ductu Viri Excell. & Experientiſſ. p. m. PETRI VVOLFARTI, Ph. & Med. D. Sereniſſimi Landgrafii Haſſo-Caſſellani Conſiliarii & Archiatri Primarii, Med. & Phil. P. P. O. tractauit.

Excurſiones botanicas ibidem cum Viro doctiſſimo

& Ex-

& Experientiſſimo, Dn. VVOLRADO, VVIGANDO, M. D. & Practico famigeratisſimo, inſtituit.

Annuo præterlapſo ſpatio, anno MDCCXXVII. d. XXVIII. April. noſtras ſalutauit muſas, & Pro-Rectore t. t. Magnifico, Viro Illuſtri, Conſultisſimo & Excellentisſimo, Dn. D. CASPARO ACHATIO BECKIO, Prof. P. Ordin. & Sereniſſimorum Saxoniæ Ducum Conſiliario Aulico, ciuium Academicorum numero eſt adſcriptus.

In philoſophicis hic doctrinam Logicam & Metaphyſicam a Clariſſ. Dn. M. IO. PETRO REVSCHIO, Facult. Phil. Adiuncto meritisſimo, hauſit.

In Matheſi, Phyſica Theoretico-Experimentali, & Mechanica ad corpus humanum applicata, ducem habuit Excellentisſimum & Experientisſimum Dn. D. GEORGIVM ERHARDVM HAMBERGERVM, generum meum dilectisſimum, quem etiam publice de Motu, de Æquilibrio ſolidorum & Fluidorum, & de legibus cohæſionis, diſſerentem percepit.

Medico in ſtudio frequentauit Lectiones publicas Excellentisſimi ac Experientisſimi Dn. D. HERM. FRIDERICI TEICHMEIERI, P. P. O. & Conſiliarii Iſenacenſis, in quibus Botanicam, Oſteologiam & doctrinam de Morbis oſſium tradidit, eique, vtriusque ſexus cadauera artifioſe ſecanti & demonſtranti, adſtitit.

Excellentisſimi & Experientisſimi Dn. D. SIMONIS PAVLI HILSCHERI, P. P. O. interfuit recitationibus de Formulis præſcribendis, Sanitate conſeruanda, & Statu corporis humani ſano.

Superius laudati Excell. Dn. D. & Prof. HAMBERGERI opera in medicis quoque vſus eſt. Oſteologiam Botanicam, Materiam medicam, Methodum medendi, Chimiam, & Semioticam priuatim, Phyſiologiam autem & Patho-

Pathologiam publice, eundem docentem ſecutus eſt, nec minus eodem Præſide diſſertationem de Venæ Sectione, quatenus ſanguinis motum mutat, cum laude defendit.

Meum quoque laborem in vſum ſuum vertere anniſus eſt, cum me, publice Methodum medendi, cognitionem & curationem Febrium, Inflammationum, Dolorum & Obſtructionum exhibentem, priuatim autem Morbos ſuperioris, medii & infimi ventris, morbos Infantum, Mulierum, vt & Externos, nec non Obſtructiones, & generatim Inſtitutiones Medicas, tractantem, ſedulo auſcultaret.

Maturitatem ſtudia ſua per indefeſſam diligentiam obtinuiſſe, ipſi viſum fuit, & hinc explorationi noſtræ eadem commiſit, eumque in finem numero candidatorum ſe adſcribi, modeſte deſiderauit. Petitioni eius locum dare noſtra Facultas haud dubitauit, nec penituit, examinibus ſolennibus peractis, huius propoſiti. Nam digniſſimum in iisdem deprehendit, cui cathedra publica, ad diſſertationem dictam, meo ſub præſidio d. XV. huius menſis habendam, aperiretur.

Supereſt tantum, vt Magnificus Dn. Pro-Rector, Magnificus Dn. Pro-Rector deſignatus, Illuſtrisſimi Domini Comites, Proceres aulæ & academiæ Excellentisſimi, omniumque ordinum Hoſpites honoratisſimi, gratioſisſime & beneuole ſolenniorem hunc actum reddere dignentur. Et hoc eſt, quod nomine Collegii Medici officioſisſime omnique obſeruantia rogo atque contendo. P. P. ſub Sigillo Facultatis d. IX. Iulii MDCCXXX.

(L. S.)